



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Gvillelmi Postelli De Repvblica

Postel, Guillaume

Lvgdvni Batavorvm, 1635

Cap. XIV. De logistis, quos rationum magistros dicimus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65533)

126 DE REPUBLICA
re susceptores dixere. C. de de-
fen. civita. L. Iubemus. Iube-
mus cura, ac solertia defensorum
minime possessores maioribus
mensuris, & ponderibus à susce-
ptoribus prægravari, sed eos de-
prehensos &c. Hæc Budæus. Pu-
to sane Iurisconsultum intellige-
re per susceptores, illos quos re-
ceptores auxiliorum dicimus,
qui aliquando cogunt res fisci
maiori mensura, aut pondere no-
mine regio persolvi, non quidem
ut regi, reive publicæ profint, sed
ut sub regii nominis terrore rem
maxime augeant.

C A P. XIV.

*De logisticis, quos rationum
magistros dicimus.*

ΛΟΓΙΣΤΑΙ, inquit Har-
pocration, sunt etiam De-
cem

A T H E N I E N S I V M. 127

cem viri singuli à singulis tribu-
 bus electi, quibus omnes magi-
 stratu functos intra triginta dies,
 quam magistratu decessissent, o-
 portebat rerum omnium admi-
 nistrationis rationem reddere,
 quod graeci *λογισται*, & *λογισται*
 dicunt. Aristoteles in Athenien-
 sium politia scripserat, ut idem
 author scribit, illos *ἀπο τῶν ἐυδού-
 των*, ab euthynis, qui aliud genus
 rationis audiunt, differre. Asside-
 bant *ἑνὸν* novem principibus.
 repetendarumque agebant iam
 magistratu functos, qui æris ali-
 quid publici avertissent. Duo,
 inquit Pollux, erant Athenis lo-
 gistæ, unus in senatu, alter in re-
 bus extra senatum administran-
 dis: qui ambo à senatu eligeban-
 tur ut rerum omnium in Repub.
 administratarum rationes audi-
 rent. Duos credo Pollucem
 scripssisse pro duobus generibus,
 quum & cæteri authores plures
 scri-

scribant, & fieri non potuerit ut
duo soli tot rationibus audien-
dis satis essent. Verum duos
veluti præsides possumus in eo
intelligere. Id muneris in *Gal-*
lia habemus præstantissimum,
quod ad fisci res attinet, in eolo-
co Parisiis quem *Cameram*
Computorum vulgo dicunt: ubi
qui sunt summa dignitate, præsi-
des: qui secunda, auditores: qui
tertio loco, clerici computorum
dici solent. Oblatos à quæsto-
ribus libellos hi recipiunt, reci-
tantque audientibus, & suppu-
tantibus auditoribus, hi recitant
primis iudicantibus. Nec tan-
tum rem pecuniariam in ratio-
nem deducunt, sed & quicquid
olim regio censui accessit, aut
decessit, notant, inque locos
communes secundum annorum
multitudinem collocant, ut
quum opus est aut litis causa, aut
aliter de publicis æris rebus agere,
statim

statim diarium promant, quod fidem faciat. Triumviri calculatores Venetiis sunt à publicis rationibus. Nec Turcæ eo carent magistratu. habent enim suum Barat emin, impensis præfectum, qui cum quatuor viris rationes fisci audit. Verum non ociosum fuerit ex oratione Æschinis contra Demosthenem, & Ctesiphontem officium logistarum amplius aperire. Primum quidem, ait, lex iubet sanctissimum Ariopagitarum senatum apud logistas inscribi, rationibusq; reddendis esse obnoxium. Illicque vult, o Athenienses, secundum vestræ sanctionis præscriptum, venerandi illius senatus dominum fieri Logistam. Præterea quingentos viros vult rationes magistratus sui reddere. Ita vehementer diffidit Respub. his qui rerum rationem non reddere, ut sub ipsum statim le-

I gum

130 DE REPUBLICA
gum exordium dicat magistratum rationi reddendę obnoxium (nam *ius ad illud* quod ait, & active, & passive capitur nempe tam pro illo qui rationem exigit, quam pro eo qui illam reddit) non debere peregre proficisci, non habere suarum rerum potestatem, non posse divi quicquam consecrare, non manumittere, non posse in summa de suis rebus quicquam statuere: sed omnes illorum facultates qui Reipub. rationes non reddiderint, oppigneratas Reipub. vult legislator. At dicet aliquis: Quidam fuit in aliquo ordine, qui nil usquam nomine publico accepit, aut expendit. Etiam hunc vult rationem reddere oportere. Verum qui poterit, qui nil habuit? Iubet lex isthuc ipsum inscribere: Nil usquam publico nomine accipi, aut expendi. Immune quidem certe ratio-
nis

nis reddendæ in civitate nil debet esse. Subiungit paulo post. oportebat te ô Demosthenes secundum patriam consuetudinem permittere ut logistarum præco proclamaret, *τις βέλτερον κατηγορεῖ;* Quis vult accusare? Hæc Æschines. Cætera iam ante tradideram. Proculdubio si hæc lex tantam apud nos vim haberet, reprimerentur coactorum furta, electorum technæ, quæstorum fraudes, iudicum sordes, favores, oppressiones, si semel testes omnes admitterentur, proposita tamen falsis testibus, & accusatoribus capitis pœna. Quot enim putas misere lacertos, enecatos, spoliatos, de suo iure deturbatos, ea una de re mutire non audere, sed altum corde dolorem ægre premere, quod non est libere sine forma accusandi locus? unde innumeræ iniuriæ. At quis custodiet ipsos

I 2 custo-

A
gistra-
oxium
ait, &
nempe
exigit,
ceddit)
icisci,
pote-
quic-
umit-
de suis
: sed
s qui
dide-
vult
quis :
dine,
blico
tiam
re o-
terit,
sthu-
pu-
pen-
atio-
ais

132 DE REPUBLICA
custodes? Ad te æquissime Can-
cellarietantum iuris asylum ni-
si recurrant miseri, actum de re
illorum est. Logistas, & voca-
bulo suo noverant Latini, reique
publicæ curatores appellabant.
L. curator. C. de modo multar.
Curator Reipub. (inquit Impe-
rator) qui Græco vocabulo lo-
gista nuncupatur, mulctandius
non habet.

C A P. X V.

*De custodibus, quos Græci
ἀντιγραφεῖς vocant.*

QUOS Græci ἀντιγραφεῖς di-
xere, Latini custodes, aut
Græca voce, antigraharos ap-
pellarunt. Aderant hi observa-
tores his de quibus proximo ca-
pite egi, rationesque omnes in
diario scribebant: quod nostri fa-
cere non solent in omni admini-
stratio-